MEDIZINISCH-NATURWISSENSCHAFTLICHE SAMMELHANDSCHRIFT. FEUERWERKBUCH

Salzburg, 1470-1471

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8261
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

De granis solis
De — Bith
De — Balliteito
De — Balla
De — Benestula
De — Ballia muscata

Gariofili. De gariofilis.

Gariofili calidi sunt et sicci in 3o gradu, quidam dicunt in secundo, dicimus ergo quod quidam gariofili ex origine perfecti et acuti saporis calidi sunt et sicci in 3o gradu. quidam sunt remissiores in qualitatibus et videntur calidi in secundo gradu et sicci. Gariofili sunt fructus arboris in India nascentis. In estiuo tempore colliguntur cum maturi sunt. Per vi. annos seruantur in multa efficatia et post decem annos sine corruptione. In loco nec multum sicco nec multum humido ponuntur. quia si in loco multum humido ponerentur putrescerent si vero in loco multum sicco arescerent et corrugarentur. Sunt autem eligendi qui in superficie plani sunt aliquantulum, signatur enim ex hoc subtilem habere humiditatem. Et qui tuberosi sunt meliores sunt et qui habent acutum saporem, et qui in expressione vnguibus aliquantam emittunt humiditatem. Sophisticantur autem sic, ponunt gariofilos inutiles in aliquo vase humectato parum vel ponunt in panno et ponunt aliquantulum sub aere per noctem mane excitant ut humiditas illa consumetur, dinoscitur tamen in sapore, et quia maiorem emittunt humiditatem nec etiam multam habent planitiem. Sophisticatur etiam alio modo subtiliter puluerisant gariofilos electos et constringunt in aceto fortissimo addito modico vino odorifero et in panno ligant circulos gariofilos cum hac confectione infundendo per noctem ex aceto et vino contrahunt humiditatem et ex gariofilorum acumine vix dinoscuntur sit sophisticati. In primo tamen dinoscuntur, quia illud acumen manus est in exterioribus quam in interioribus. Inferiori enim sube lingua applicata modicum vel nullum sentitur acumen. Sic autem sophisticati non seruantur nisi per xx. dies. ¶ Habent autem boni gariofili virtutem confortandi ex aromaticitate, dissoluendi consumendi ex qualitatibus suis. ¶ Ad digestionem confortandam detur vinum decoctionis gariofilorum et masticis et mirre. ¶ Ad dolorem stomachi ex frigida causa vel ventositate detur vinum decoctionis eorum cum semine feniculi. ¶ Contra asma frigidum in aqua ordei ponatur dragagantum et cum illa glutinositate conficiatur puluis gariofilorum et gummi arab. et fiant inde pillule, et teneat eas paciens sub lingwa diu. et post transgluciat. ¶ Ad matricis suffocationem puluis gariofilorum conficiatur cum vino odorifero et supponatur. vel mittatur per pessarium fumus eorum receptus etiam inferius valet. ¶ Ad precipitationem matricis odoretur gariofilos. Vinum etiam decoctionis eorum detur. ¶ Ad cerebrum confortandum applicetur gariofilos naribus. ¶ Contra fluxum ventris ex acumine medicine quod scamonea adheret villis stomachi, et contra vomitum colericum in ampulla vitrea plena aqua rosarum, septem vel nouem gariofili bulliant cum mastice mediocriter in dupplici vase et tepide detur. ¶ Contra cardiacam passionem et sincopim detur puluis